

Aulre. nes Barones de *Dacre*, & Barones de *Say* & *Zele*. Pedredus hic limosam planitiam persecans in Septentriones contendit per *Langport* mercatum non infrequentem, & *Aulre* ex tuguriolis paucis viculum, qui melioris notæ oppidum fuisse videatur. Cum enim Alfredus Danos ita prælio fre-gisset, & obcessos ad ditionem subegisset, ut juraverint se quamprimum ex suis ditionibus cessuros, & *Godrus* eorum Rex Christianitatem, ut inquit *Afferius*, subire promiserit: illum hoc in loco magna pompa de sacro regenerationis fonte levavit.

*Welling-ton.**Lediard.**I. Po-pham.**Taunton.**Mallet.**Pointzii.**Beau-champi Barones.*

Hinc ab Occasu *Thonum* fluvium recipit Pedredus, qui longe in occidua agri parte, proxime Devoniam exortus lœtissimos perstringit agros per *VWellington* defluens, quæ Edwardi senioris tempore terra sex erat *Manentium*, quando ille una cum *Lediard*, quæ duodecim erat *Manentium* Shirburnensi Episcopo concederet. Nunc mercatorum est oppidulum, cui maximo honori ejus est incola, vir honoratissimus (nec enim viri virtute illustres, & de patria optime meriti silentio involvendi) *Ioannes Popham*, ut antiqua generis nobilitate, ita & summa justitia & singulari industria. Qui summus in Regio Tribunal Iustitarius tanta æquabilitate, & tam salutari severitate iustitiam administrat, ut tranquillitatem & securitatem domesticam illi magna ex parte jamdiu Anglia debuerit.

Inde leni, modicoque lapsu *Thonton*, vulgo *Taunton* alluit, & nomine donat *Thonus*. Elegans certe oppidum, lœtissimoque situ, & ut verbo dicam, hujus regionis alter ocellus: ubi Ina Rex Occidentalium Saxonum castrum construxit, quod *Desburgia* ejus uxor solo æquavit, cum *Eadbrictum Australium Saxonum Regem* inde exturbasset, qui jam sui juris fecerat, & tanquam fræno domitæ gentis uteretur. Cum Edwardus Confessor rerum potiretur, *geldabat*, (ut est in Angliæ commentario Censuali) pro *LIII hidis*, *Burgenses LXIII habuit*, *Episcopus Wintoniensis tenuit*, ejusque *Placita ter in anno hic tenebantur*. *Ista consuetudines* pertinent ad *Taunton* *Burgheriste*, latrones, pacis infraactio, bannifare, denarii de *Hundret* & denarii *Sancti Petri circleti*, ter in anno tenere placita Episcopi sine admonitione, Profectio in exercitum cum hominibus Episcopi. Hic circumquaque regio virentibus pratis jucunda, hortensibus deliciis florens, & frequentibus villis spectantium oculis mirum in modum arridet. Inter villas autem nominatissima sunt *Orchard*, quæ olim ejus nominis habuit Dominos, à quibus ad *Portmannos* ex Equestri ordine hæreditario descendit, *Hach-Beauchamp*, & *Cory-Mallet* à Dominis facta adjunctione. Hæc enim sedes erat *Malleorum* è Normannico genere, à quibus brevi tempore per foemina ad *Pointzios* devenit. E quibus regnante Edwardo Primo, *Hugo* inter Barones Parliamentarios censemebatur, & ex ea familia nonnulli magno splendore & equestri dignitate supersunt. *Beau-champi* autem illi sive de *Belle-campo* magnis honoris ornamenti claruerunt à temporibus regis Henrici Secundi, præcipue ex quo *Cecilia de Fortibus* quæ à Comitibus de *Ferrariis*, & magno illo Angliæ Marescallo *Guilielmo Comite Penbrochiæ* genus duxit in hanc familiam enupta

fuit. Verum regnante Edwardo tertio, per so-
res hæreditas inter *Rog. de S. Mauro*, sive *Sei-
more*, & *I. Meriet*, qui viri veteris erant prosapia & multarum imaginum, disperita fuit. Hinc erat quod *Henricus Octavus* cum duxisset *Ia-
nam Seimor* matrem Regis Edwardi VI, Edwardum *Seimor* ejus fratrem titulo *Vicecomitis Beau-
champ* donaverit, quem Edwardus sextus honore
Ducis Somersetti postea illustravit.

camp.

Inde qua *Thonus Pedredo* se insinuat, insulam amnicam efficit *Æthelingey* olim dictam, id est, *Nobilium insula*, nunc vulgo *Athelney*, quæ non minus Alfredi regis latebris nobis nota, cum jam *Danus* omnia permisceret, quam *Italis Mintur-
nenium* paludes Marii latibulo. Regi enim illi (ut Poëta antiquus de ipso cecinuit)

Mixta doloi

*Gaudia semper erant, spes semper mixta timori.
Si modo victor erat, ad crastina bella pavebat,
Si modo victus erat, ad crastina bella parabat.
Cui vestes sudore jugi cui sica cruento
Tincta jugi, quantum fit onus regnare probarunt.*

Et percommodum sane erat hæc insula lati-
bulum. Stagnantibus utique aquis, & refusioni-
bus inaccessa est (quas Latino Saxonico voca-
bulo *Gronnas* *Afferius* dixit) *Pontem* olim *habuit* inter *Gronnae*.
duas arcas ab *Ælfredo constructas*, alnetum etiam per-
maximum capis & feris plenum, sed solidam terram vix
duobus jugeribus latam: cui imposuit ille monasterium:
cujus (*Malmesburiensem*, non me audis) machi-
nam totam quatuor postes solo infixi suspenderunt, qua-
tuor cancellis opere sphærico in circuitu ductis. Non lon-
ge ab hac collectis aquis solitarius Pedredus per-
erravit, sed alterum ab *Ortu* socium rivum ac-
cipit, qui *Somerton* præterfluit, olim primarium
totius Comitatus oppidum, utpote quod nomen
fecit. Castrum Regum West-Saxoniarum habuit,
quod perruptis muris *Ethelbaldus Merciorum*
Rex occupavit; nunc vero vincentibus annis
ita cessit, ut omnino disparuerit, & oppidum
vix nomen tueretur, nisi ex foro Boario, quod à
Festo Palmarum ad medium Iunium frequentis-
simum habet, vicini enim rei pecuariæ in primis
student.

Hoc suscepito fluvio, Pedredus oppidum ma-
gnum, & incolis refertum petit, quod *Bridgewa-*
ter vulgo vocitamus, nomenque à ponte, & aqua
invenisse creditur; sed refragantur Chartæ anti-
quæ, in quibus semper *Burg Walteri* diserte ap-
pellatur, & conjectura probabili, à *Waltero de Duaco*, qui *Guilielmo Conquistori* militavit, &
multa prædia ab ipso in hoc agro accepit. Nec
alio nomine in donatione illa vocatur qua *Fulco Paynell* Dominus de *Bampton* loci possessionem
Guilielmo de Briwer contulit, ad colligendā ejus
gratiam, qui gratia plurimum apud Regem Ri-
chardum Primum valuit. Hujus *Guilielmi* filius
eodem nomine, cum firmandi castri licentiam
fecisset *Ioannes Rex*, castellum hic posuit jam
tempore evictum; pontemque incepit, quem
Trivet è *Cornubia* nobilis immensis sumptibus
perfecit. Cum vero *Guilielmus de Briwer* junior
sine prole diem clausisset, in familia herciscunda
obtigit *Margaretæ* sorori, per cujus filiam ex
Guilielmo De La fert in familiam de *Cadwcis*, sive
Caworth devenit, & ab ea hæreditario ad Duces
Lan-